

Rōmae habitāvit puella, nōmine Cloelia. Quōdam diē, senātus iussit omnēs Rōmānōs mittere liberōs ad Cūriam. Cloelia ire nōluit, et, postquam māter eam mīsit, effugere temptāvit. Difficile erat effugere, tamen, quod mox māter eam vīdit. Māter aurem tenuit et eam trāxit ad Cūriam cum ceterīs liberīs. Cloelia scīvit sē debēre oboedire mātrī, sed voluit manēre domī.

In Cūriā, "Propter Scaevolam, Lars Porsenna pācem vult," ūnus senātor inquit, "sed nōn erit pax nisi obsidēs Ētruscīs mittimus. Lars Porsenna vult decem puellās et decem puerōs Rōmānōs. Rōmānī Ētruscōs vincere nōn possumus, itaque debēmus oboedire."

Cloelia nōn erat laeta, quod mittī ad Ētruscōs nōluit. Rōmam amāvit et exīre nōluit. Cloelia effugere voluit, sed scīvit sē debēre oboedire senātōrī. Itaque Cloelia cum ceterīs liberīs Rōmānīs ad castra Ētrusca missa est.

Cloelia in tabernāculō in castrīs Ētruscīs sēdēbat. Multae puellae quoque in tabernāculō sedēbant. Multae lacrimābant, sed Cloelia nōn lācrimābat. Cloelia effugere voluit.

"Quis mēcum effugere vult?" Cloelia puellīs susurrāvit.

Iam puellae nōn lācrimābant, sed surgēbant. Omnēs puellae effugere voluērunt. Cloelia ad custōdem ambulāvit.

"Loquerisne Latīnē?" Cloelia inquit.

"Ita loquor," custōs respondit.

"Magnum lūpum in silvā prope tabernāculum vīdī," Cloelia inquit.
"Perterrita sum!"

"In castrīs es," custōs inquit, "mediō in exercitū."

"Sed puella parva sum," Cloelia clāmāvit. "Lupum pugnāre nōn possum!"

Itaque custōs ā tabernāculō in silvam discessit. Statim Cloelia puellās ē castrīs dūxit. Puellae celeriter tacitēque currēbant, sed mox audīvērunt custōdēs clāmantēs. Puellae iam ad flūmen advēnērunt, sed...pōns erat dēlētus!

"Quid agere debēmus?!" ūna puella clāmāvit.

Cloelia iam Ētruscōs vīdit, ferentēs gladiōs et tēla. Cloelia clāmāvit, "Nātāte iam!"

Ētruscī clāmābant et tēla ad puellās iaciēbant. Cloelia tamen puellās natantēs trāns flūmen dūxit et in urbem incolumēs.

Postquam Cloelia effūgit, Lars Porsenna erat irātus. Porsenna floccī nōn fēcit aliās puellās, sed iussit Rōmānōs remittere Cloeliam. Quod Rōma bellum nōluit, Cloeliam remīsit. Cloelia nōluit remittī, sed scīvit sē debēre redire quod nōluit mīlitēs Rōmānōs morī. Itaque Cloelia ad Porsennam rediit.

Ubi Porsenna Cloeliam vīdit, inquit, "Tū es puella, quae obsidēs ē castrīs cēpistī?" Porsenna rīsit. "Tū es fortior quam Horātius et audācior quam Scaevola! Licet tibi redīre Rōmam et dūcere dīmidium obsidēs tēcum."

Cloelia dīmidium iūnius dēlēgit et dūxit puerōs Rōmam. In urbe, omnēs Rōmānī clāmāvērunt, "Euge Cloelia!" et fēcērunt statuam Cloeliae in equō.